

bona videntur, sequuntur, fugiuntque contraria. Quamobrem simul objecta species cuiuspiam est, quod bonum videatur, ad id adipiscendum impellit ipsa natura. Id quum constanter prudenterque sit, ejusmodi appetitionem Stoici βούλησιν appellant, nos appellamus *voluntatem*. Eam illi putant in solo esse sapiente, quam sic definiunt. Voluntas est, quae quid cum ratione desiderat. Quae autem, ratione adversa, incitata est vehementius, ea libido est, vel cupiditas effrenata; quae in omnibus stultis invenitur. Itemque, quum ita movemur, ut in bono simus aliquo, dupliciter id contingit. Nam quum ratione animus movetur placide atque constanter, tum illud *gaudium* dicitur; quum autem inaniter, et effuse animus exsultat, tum illa *laetitia gestiens*, vel *nimia* dici potest; quam ita definiunt, sine ratione animi elationem. Quoniamque, ut bona natura appetimus, sic a malis natura declinamus: quae declinatio cum ratione fiet, *cautio* appelletur, eaque intelligatur in solo esse sapiente: quae autem sine ratione et cum exanimatione humili atque fracta, nominetur *metus*; est igitur *metus* rationi adversa cautio. Praesentis autem mali sapientis affectio, nulla est. Stulta autem aegritudo est ea, qua afficiuntur in malis opinatis, animosque demittunt et contrahunt, rationi non obtemperantes. Itaque haec prima definitio est, ut aegritudo sit animi, adversante ratione, contractio. Sic quatuor *perturbationes* sunt, tres *constantiae*, quoniam aegritudini nulla constantia opponitur.

Cap. VII. Sed omnes perturbationes iudicio censent fieri et opinione. Itaque eas definiunt pressius, ut intelligatur non modo quam vitiosae, sed etiam quam in nostra sint potestate. Est igitur *aegritudo*, opinio recens mali praesentis, in quo demitti contrahique animo rectum esse videatur; *laetitia*, opinio recens boni praesentis, in quo efferri rectum esse videatur; *metus*, opinio impendentis mali, quod intolerabile esse videatur; *libido* opinio venturi boni, quod sit ex usu jam praesens esse atque adesse. Saed quae iudicia, quasque